



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Spiritualia vitæ Signa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

recurrunt: ut verè conset, se. omnia odio habentes, solum Deum dilexisse. S. Ephrem. ferm. ad pietatem.

Alea. Lem. *Abiecta non eversa. Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem: spes autem non confundit.* Rom. 5. 3. 4. 5. Hesius.

Genius è dura anchora filice ignem elicit. Lem. *Spes à duris micat edita rebus. Per patientiam spem habeamus.* Rom. 15. 4.

Vide Fiducia.

Miscellanea.

Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt, id est, in spe, in fide, & in

charitate: Tolle spem, torpet humanitas tota tolle spem; artes, virtutesque universæ cessabunt: tolle spem; & interrupta sunt omnia. S. Zeno Veron. Sermon. de fide &c.

Si Moyses fraudatus est à desiderio suo, cujus spes non pendeat in dubio? quasi puero porrigis pomum, & retrahis manum. Fortè non tam fortiter doleret, si non videret. Crescit aviditas scintillata ex visione, ardentius flavescit anima in muneris oblatione. Sed quò uberius concepta spes gaudet, desperata acrius dolet. Cui es parciturus? Si Moyfi non parcis? Petrus Cell. l. de panib. c. 11.

TITULUS XXXIV. SPIRITUALIA.

§. I.

Præfer corporalibus.

Apparuit Dominus Deus Abram, & dixit ei: *semini tuo dabo terram hanc: qui edificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Gen. 12. 7. Hebr. quia apparuerat sibi. Altaria statuit, & victimas DEO immolavit; non propter sceptrum promissa; sed quia dignatus ipsum invisere. Tanto in pretio gratias spectantes ad spiritum habuit. Gratus fuit offerendo, non ob promissam terram; sed quia apparuerat sibi. Caducis rebus, quæ ad parandam æternitatem non juvant, noluit tribuere pretium; quod revera non habent. Oliva tom. 2. conc. 19. die Ven. 6. Quadr.

In hoc seriam vobis sum vobis, ut etiam omnium vestrum oculos dextros. 1. Reg. 11. 2. Dexter oculus, bona spiritualia, finitè corporalia, significat. S. Bernardus in Pf. 40. f. 7. inducens illud Pf. 15. 8. *Dominus à dextris est mihi, ne commovear:* hæc gratia, & misericordia Dei, in servos suos; ut in eorum sinistram, velut dissimulans dexteram, semper studiosus assilat protector, iuxta illud: *Dominus à dextris est mihi.* Mendoza hic.

Regina austri venit à sinibus terra, audire sapientiam Salomonis. Matth. 12. 42. Poterat ante egressum cogitare: si regno excedo, in id prorumpent proditio, discordia, rebellio: vicini reges in regnum facient impressionem: orientur civiles discordiæ; filius gravia damna patietur, exercitus dissolventur; populus impatiens regi à pluribus, regem novum eliget. Unde ego, quæ regina nunc ex eo; regrediar vel privata, vel captiva. Vivat Deus, quia tam illustis regina documenta Spiritus non postposuit securitati Imperii. Auth. Imp. Op. non dixit illa: cui commendo gubernationem; nè fortè, dum vado, & redeo, aliqua contra Imperium meum adversa nascantur. Cum esset gentilis, & mulier, tantam longitudinem itineris conficere non est impedita. Oliva ibid.

An non extrema dementiæ, & iniquitatis, *Rehauthen sacra. Tom. II.*

est; non tantum studii, ac sollicitudinis, in rebus spiritualibus ponere, quantum circa tempora, & fluxa, monstramus? S. Chrysol. l. 3. adv. vituperatores vitæ Monasticæ.

§. II.

Spiritualia obscura sunt carnalibus.

Michol vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino; & despexit eum in corde suo. 2. Reg. 6. 16.

Hec in proverbii locutus sum vobis. Joan. 16. 25. De rebus spiritualibus apud eos differere, quibus nulla Spiritus cura, tantundem est; ac mera ænigmata iis proponere. Non erant semper nimis, vel difficilia, vel obscura, quæ Christus Discipulis suis dicebat; in proverbii tamen loqui aiebat: quia ad intellectionem eorum non penetrabant: nondum enim planè consumptus erat in illis omnis terrenorum affectus; à quo fiebat, ut cognitionem spiritualium satis assequi non possent. Did. Niff. D. 5. Pasch. §. 5.

Infans in tenebroso natus carcere, ludit, jocatur, lætatur: quia, quid sit lux, ignorat. Mater autem, cui lucis suavitas nota fuit, lamentatur tristis. Sic quia parum scimus, de spiritualibus, & æternis; ut parvuli in servitute, & obscuritate, enutriti, sensibilia ampleximur, vanis gaudemus; quia bona æterna non gustamus. Sancti, qui animò in cœlis erant, suspirabant, & stabant. Stella de cont. &c. p. 1. c. 56.

§. III.

Spiritualis vitæ signa.

Argumentum veræ spiritualis vitæ habet, cujus Spiritus carni penitus dominatur: qui tam citò, & tantum sentit incommodum spirituale, sicut & corporale: & tantum vitat locum, tempus, & homines, ubi, & per quos lædi potest in spiritu; sicut ubi lædi potest, & offendi, in corpore. Et qui tam citò studet mederi spiritui, quàm corpori. - qui tantum delectatur in cibis spiritualibus, sicut corporalibus. Albertus M. parad. an. c. 28.

Tet t

Vita

Vita spiritualis, est, plus curare de Spiritu, quam de corpore. S. Vinc. Ferr. ser. 3. Pent.

§. IV.

Varia.

OCuli tui columbarum. Cant. 1. 14. Cassiodorus, Origenes, Beda, Theodoretus, & S. Bernardus s. 45. per oculos columbæ accipiunt intuitum spiritualium: quod scilicet anima in res non carnales, sed spirituales, aspicit; eaque appetit, & intendit. Cornelius hic.

Et surgentes eadem hora. Luc. 24. 33. Ob-
liti sunt corporalium, spiritualibus jam refecti:
repudiarunt corporis mensam, pigritiam ab-
jecerunt. Regressi sunt Jerusalem: bona scilicet
nuntiare, quæ viderant: ut consolatio, quæ
illis per huiusmodi visionem erat propria,
fieret cum cæteris ipsorum relatione, commu-
nis. Sim. Cass. l. 14. hic de Resurr.

Dignum protinus est, cum spiritualia inten-
duntur, quod corporalia remittantur. Sim.
Cass. l. 1. c. 10.

TITULUS XXXV.

SPIRITUS.

NOsti, quod Esau frater meus homo pi-
lofus sit, & ego lenis. Gen. 27. 11. Mo-
raliter per Jacob, qui lenis fuit, signifi-
catur Spiritus; qui lenis & mitis, naturaliter est
creatus: per Esau pilosum significatur caro, quia
superflua quarit. Hugo Card. in Sap. 10.

*Ubi erat impetus Spiritus, illic gradie-
bantur.* Ezech. 1. 12. Sic Sanctorum corda
illuc gradiuntur, quò impetus divini Spiritus
fert. Impiorum corda impetus carnis Mundi,
dæmonis, rapit. Igneo curru raptus est Elias.
4. Reg. 2. 11. igneo spiritu rapiuntur viri Eliæ
similes. Barradius tom. 2. l. 2. Dom. 1. primâ
Quadr. c. 7. morale.

Charissimi, nolite omni spiritui credere.
1. Joan. 4. 1. S. August. s. 13. de Verb. Ap. re-
peto, quia necesse est, ut repeteram, & hoc men-
tibus vestris vehementer inculcem: *Charissi-
mi, nolite &c.* In temporalibus commodis con-
fidite, quibus liberit; & auscultate quemli-
bet erudientem: sed ubi in rebus gerendis peri-
clicitari potest, vel iustitia, vel divina lex, nemi-
nem audite, nisi Spiritus peritissimum. Oliva
t. 8. conc. 29.

Et si corpus includitur, et si caro detinetur;
omnia spiritui patens. Tertull. lib. ad MM.

De vita tua cum natura non deliberas; mi-
nus attendens, quid caro possit, quam quid spi-
ritus velit. Hildebertus ep. 1. ad amicum Reli-
giosum.

Solet à doctis inter alia unum utriusque Spi-
ritus prænotari discrimen: quòd Angelus in
principio terreat, & dulcescat in fine; Diabo-
lus è converso. S. Thom. Vill. conc. 2. de An-
nunt.

Nulla consonantia est Spiritus Dei, ad spiri-
tum huius Mundi, Blesensis de institut. Episc.
c. 4. voluit DEI sapientia spiritum rationalem
conjugere materię: quatenus nos ista con-
nexio doceret, spiritum nostrum cum DEO,
qui Spiritus est, facilius conjugi posse. Ger-
son. tr. 9. sup. Magnif.

Desideria tua parvò redime: quia hoc tan-
tùm curare debes; ut desinant: atque quasi ad
exemplar compositus divinum, à corpore ad
spiritum, quantum potes, te festina reducere.
S. Martinus Bracar. de vera virt. c. 3.

TITULUS XXXVI.

S. SPIRITUS.

§. I.

Figuræ

Ex Veteri.

Spiritus DEI ferebatur super aquas.
Gen. 1. 2. S. Hieronymus ait, verbum He-
braum propriè significare, *incubare*, sive
confovere, sicut volucres ova suo colore fo-
vent. de Ponte in Cant. 1. Exhort. 10. §. 4.
Ferebatur. Arabica Biblia: *volitabat*, ut ales
se gerebat, alis se movebat; sicut, interprete
S. Basilio, & Hieronymo; volucres, dum su-
per ova, & pullos, quasi pendulæ, leviter se
alarum agitatione librant; iisque deinde incu-
bant, calorem aspirant, fovent, & animant.
Ita Spiritus S. potentiâ, & voluntate suâ aquis
vim prolificam indebat; ut reptilia, volatilia,
pisces, & germina, imò cæli omnes, ex aquis

producentur. Allegoricè hic significatur Spi-
ritus S. aquis Baptismi quasi incubans, iisque
nos parturiens, & regenerans, inquit S. Hieron.
epist. 83. Cornelius hic.

Emisit quoque columbam. Gen. 8. 8. Arca
fuit Ecclesia, Noë Christus, columba Spiritus
S.; oleæ folium DEI benignitas. S. Chrylost.
tom. 6. tr. in terrâ motum. Spiritum S. in
suâ maximè persona, illa columba significa-
vit, quam de arca Noë sanctus emisit. Ru-
pertus in Gen. 1. 4. c. 23. Noë, id est, Deus,
de arca, id est, de cælo, mittit columbam, id
est, Spiritum S.: & venit ad palatium domini-
orum temporalium; & invenit eos plenos in-
iustitiâ, rapinâ; non inveniens, ubi requies-
cat pes ejus. Venit ad Prælatos, & invenit eos
plenos Simoniâ, &c. S. Vinc. Ferr. serm. in Vi-
gil. Pent. Per diluvium designatus Baptismus:
pcc